

ipsius die recurrēte, solēmi ritu adorandum pópulis expónitur.

R. Stola.

In *iiij. Nocturno, Homilia.* Si considerémus. *de Comuni.*

Lectio ix. de SS. Machabæiseorumque Commem. in Laudibus.

Vesp. a Capit. de seq.

DIE II. AUGUSTI.

S. Petri

Episc. Oxomensis, Conf. Duplex.

(In Diocesi Oxomensi, Duplex j. classis cum Octava.)

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio. Da quæsumus.

Commem. præcedentis et simplicis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Dioc. Oxomen. Lect. Fidélis sermo. de eodem

Communi j. loco.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Ex hist. Bernardi Archiepisc. Tolet. sub Paschali II. temp. Alphonsi VI. Hisp. Regis, et aliis Oxomens. Eccl. monument.



*E*trum Bituricénsem e Gallia Bernardus Toletanus Antistes Roma per Gáliam (suum natále solum) Tolétum rédiens, cum aliis

viris doctrina et pietate præstantibus secum, ut eórum ministério in Ecclesiæ regimine uteretur, adduxit. Perspecta autem Petri prudentia, singularique in ómnibus peritia, eum primo Archidiaconum Toletánum instituit: in cujus múnere ita se singulari ómnium et præcipue sui Præsulis approbatione gessit, ut altiõris loci et regiminis dignissimus fuerit iudicatus. Anno itaque Dómini millésimo centésimo primo, Paschale secundo summo Pontifice, ipsius Bernardi ópera post expulsos Saracenos ex Arebácis, in quibus ad fines Celtiberiæ sita est Oxóma, et Tolétum ab eórum tyránnide armis Alphónsi sexti Hispaniarum regis vindicatum, primus Episcopus Oxoménsis creatur. Divinitus autem datus et præfectus Ecclesiæ pótius quam humanitus, ex eo certissime iudicandus est, quia, cum Saracenórum vi temporumque injúria per trecentos plus minus ante annos pastórum solatio et præsentia destituta Oxoménsis Ecclesiá permanisset, ipse Petrus admirabili sanctitate et incredibili celeritate ómnia ita dispósuit, ut nunquam tá-

lia passa Oxoménsis Ecclesiá videretur.

R. Inveni David.

Lectio v.

Præfectus itaque suæ Ecclesiæ, primum antiqui templi, tanti temporis decursu collápsi, fundamenta explórat, ipsúmque reficit, et in pristinum statum cum ingenti brevitate restituit. Véterem dicecésim instáurat prædicatione verbi divini, assidua oratione, disciplinæ severitate cum pia quadam moderatõe clerum instituit; ut mores christiáni et cleri sanctitas máxime elucérent. Distinctas item paróchias prædicatione, Sacerdotum institutione, effusa in pauperes misericórdia, visitando frequenter circúibat. Multis étiam éditis miraculis, antiquum nascéntis Ecclesiæ christiánæ splendórem suscitare videbatur: ex his referuntur quædam monumentis majórum et recéptis históriis consignata. In his est Oxoménsis civis admirábilis a dæmone liberatio: is enim potens et dives ob illatas Oxoménsi Ecclesiæ graves injurias excommunicatus, in Episcopum Oxóma in villam sancti Stéphaní proficiscéntem hostili ánimo ar-

matus irruit: unde a dæmone súbito corréptus, de equo, cui insidébat, dejicitur, et in terra spumans tamdiu volutatur, donec oratione et præcibus sancti Episcopi a dæmone opprimente liberatur; et ad pristinam sanitatem vocatus, poenitens ad Ecclesiám confúgit. Aquam item de flicis ramis in villa Fresnillo sui episcopatus súbito defluxisse, ut sitiéntes cómites Episcopi, et de via lassí sub umbra ejúsdem arboris reficeréntur. Multos prætereá gravi ægritudine laborántes pristinae sanitati restitutos, præcibus a Dómino impetrávit.

R. Pósi adjutórium.

Lectio vj.

HIS piis et sanctis operibus inténtum Episcopum, ad funus Alfónsi regis in abbatia sancti Facúndi rite procurandum evocatum, et deinde redeúntem Oxómam, febris periculósa Paléntiæ occupat. Adhibitis autem a Petro Palentino Episcopo ómnibus humanitatis officiis, nihilóminus instare sibi mortem Oxoménsis intelléxit: et dæmonem sibi apparéntem in ipso mortis articulo his verbis répulit: Quid hic agis, nequam? nulla tibi pars

debétur; nonne confundéris, volens occupáre quæ tua non sunt? Et benedicta tunc a se ipso more ecclesiástico aqua aspérum compéscuit, et fugávit. Deinde Palentino Episcopo dubitánti, an corpus illius post mortem, propter Maurórum fréquentés irruptionés Oxómam tuto deférrí posset (ut enixe petierat ab eo Oxoménsis), respóndit, ipsum bono ánimo esse: futúrum enim, ut nulla vi hóstitium, neque incursióne impedirétur, vel in profectióne vel in réditu, ut événtu ipso probátum est. Sacraméntis igitur Pœniténtiæ, Eucharistiæ, et Unctiónis débite suscèptis, fronti signo crucis impréssó, et circumstántes benedicens compósito vultu, Paléntiæ clarus miráculis migrávit ad Dóminum, cum per sex annos, et quátuor plus minus menses Ecclésiám sanctíssime gubernásset. Cujus corpus Oxómam delátum honorífico sepúlcro cónditum est, multis ad illud religiósus et voti causa confluentibus.

R. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia.
Lectio sancti Evangelii.
de Communi.

Lectio ix. (ex duabus una)

et Commem. S. Stephani Papæ et Mart. in Laud.
In Vesp. fit Commem. sequentis.

DIE IV. AUGUSTI.

S. Dominici

Confessoris.

Duplex ij. classis.

Ut in Brev. Romano.

DIE IX. AUGUSTI.

SS. Justi et Pastoris

Martyrum.

Duplex ij. classis.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laud.
Psalmi ut in j. Vesperis
de Communi Apostol.

Hymnus. B. Isidorus.

Ecce Justus, ecce Pastor
Ambo juncti ságuine,
Quos piæ fraternitátis
Júnxerat germánitas,
Junxit æquális sacratæ
Passiósus unitas.

Hi tamen scholis reténti,
Dum instruúntur lítteris,
Audiéntes quod tyránnus
Intrat urbem pèsequens,
Illico scholam relínquunt
Et tabéllas ábnuunt.

Appetunt cursu deinde
Præsídus præsentiam,
Et crucem Christi se-
quéndó,

Corpus armant débile,
Quo triúmphos passiósus
Expédirent fórtiter.

Hoc, repénte Daciáno
Nuntiántes inquirunt,

Ecce advenire Christum
Profiténtes párvulos,
Mortis ultro passiósus
Atque cædes pèrpeti.
Cóncitans adest hic præ-
ses

Túrbidus sævítiam :
Ad suos truces minístros,
Teneántur, clámitat :
Fústibus jubens tenélla
Dissecári córpora.

Tunc sacrátas ambo voces
Alloquúntur invicem :
Tempus est jam tempo-
ráles

Ferre pœnas córporis,
Quo futúro perfruámur
Gáudio cum Angelis.

Audiens mox Daciánus
Mártyrum constántiam,
Excitátus in furóre
Dictat hanc senténtiam :
Ut perépti ambo fratres
Morte dira intércidant.

Prótinus eos furéntes
Pètrahunt satéllites
Ad locum campi patén-
tem,

Quem ferunt Laudábilem,
Ense illic verberántur,
Laureántur ságuine.

Laus tibi per omne tem-
pus,
Trínitas indifferens,
Laus, honor, virtúsque
summa

Singuláris glóriæ,
Quæ Deum te sæculórum
Pèrsonet per sæcula.

Amen.

R. Lætámini in Dómi-
no, et exsultáte justí.

R. Et gloriámini omnes
recti corde.

Ad Magnificat, Añæ.
Fortíssimi púeri Justus et
Pastor in campum Lau-
dábilem addúcti, pro Chri-
sto plus quam virili con-
stántia dato collo, marty-
rio coronáti sunt.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem glóriæ,
qui beátos hódie Justum
et Pastórem coronávit :
* Venite adorémus.

Ps. Venite, exsultémus.

Hymnus.

Divino agénte Spirítu,
Qui infirma mundi
róborat,
Ad vincla, flagra, et vúl-
nera

Fratres tenélli cónvolant.
Vix Justus annum sépti-
mum,

Nonúmque Pastor égerat,
Et jam cruénto in prælio
Utérque mundum vicerat.

Minas utérque præsidis
Utérque sprevit vérbera,
Et colla utérque láctea
Stricto mucróni súbdidit.

Incénsa nempe caritas,
Quam Christus armat, fo-
vet,

Quamvis tenélló in córpore
Nescit malis succúmbere.

In hoc triúmpho nóbili
Divína virtus émicat,
Quæ infirma sæcli déli-
git,

Confúndat ut fortíssima.

Sit laus, potestas, gloria
Uni, Trinoque Numini
Quod caede et ore infan-
tium
Invitat ad caelestia.

Amen.

In I. Nocturno.

Añā. Cum Daciānus
praeses dira Christiānis
supplicia minaretur, Ju-
stus et Pastor pueri mira
alacritate sese martyrio
obtulērunt.

**Psalmi de Comuni plu-
rimorum Martyrum.**

Añā. Ira exardescens, et
rubore suffusus Daciānus,
infantes Martyres fusti-
bus caedi, et ex cruciari
crudeliter jussit.

Añā. Non flagris, non
morte deterriti, ad mar-
tyrium pro Christo perfe-
rēndum se mutuo robo-
rabant.

**V. Laetāmini. et Lectio-
nes. Fratres, Debitores sum-
us. de Comuni.**

R. j. Beati Martyres
Justus et Pastor teneris
annis aetatis suae mortem
perdiderunt, et vitam
aeternam inveniunt.

* Quia solum vitae dilex-
erunt Auctorem. **V.** Infan-
tia computabatur in an-
nis, sed senectus erat ve-
nerabilis, non annorum
numero computata. —
Quia.

R. ij. Ingressus tyrān-
nus Complutum, omnes

Christianos perquiri ju-
bet, qui aut idolis sacri-
ficent, aut cruciatibus
acerbissimis interficiantur:
Justus et Pastor ultro
se offerunt, * Quia ma-
gno desiderio pro Christo
moriendi erant incensi.
V. Projecit tabellis, qui-
bus prima litterarum rudimēta
continebantur, in domum
judicis properant. — Quia.

R. iij. Videte ne con-
temnatis unum ex his
pusillis: * Angeli enim
eorum semper vident faci-
em Patris mei, qui in
caelis est. **V.** Qui scanda-
lizaverit unum de pusillis
istis, expedit ei ut suspen-
datur mola asinaria in
collo ejus, et demergatur
in profundum maris. —
Angeli. **Gloria. Angeli.**

In II. Nocturno.

Añā. Dixit Justus: Noli,
frater Pastor, hanc tem-
poralem pertimescere pas-
sionem: nam qui nos ad
tantam gratiam vocavit,
vires cruciatibus pares
praestabit.

Añā. Digne, frater Juste,
sic te decet hortari, ut ju-
stitiam, quam nomine
praefers, simul cum tuo
fratre suscipias.

Añā. Hi sunt, qui acce-
perunt benedictionem a
Domino, et misericordiam
a Deo salutari suo.

V. Exsultent justi in con-
spectu Dei. **R.** Et dele-
tentur in laetitia.

Lectio iv.

**Ex lib. S. Isidori, et lib.
S. Ildephonsi de viris
illustribus.**

Iustus et Pastor,
germani fratres
Complutenses, il-
lustre Christo Domino
testimonium dederunt,
Diocletiano et Maximia-
no imperatoribus. Nam
cum Daciānus praeses
Complutum ingressus,
Christianos omnes per-
quiri juberet, ut aut fidem
Christi detestati, idolis
sacrificarent, aut acerbis-
simis cruciatibus interfici-
erentur, Justus et Pastor
pueruli magno sunt pro
Domino moriendi desi-
derio incensi. Itaque, pro-
jectis tabellis, quibus pri-
ma litterarum rudimenta
continebantur, quo Chri-
stum melius discerent, e-
ludo litterario neque vo-
cati neque appellati in
domum judicis properant,
Christianos se esse publice
profitentur et pro Christi
fide supra aetatem et cor-
poris vires laeti atque ala-
cres tormentorum crucia-
tibus sese ultro offerunt.
Quos Daciānus, tamquam
pueros, jubet verbis ab
ea mente deterreri.

R. Justus sic fratrem

Pastorem alloquebatur:
Ne timeas, frater, mortem
corporis, nec dira tor-
menta quae nos circum-
stant: * Nam Deus ille,
qui nos ad tantam gratiam
vocare dignatus est, dabit
vires cruciatibus pares.
V. Non te deterrere tor-
menta, quae nobis parata
sunt, quasi tenella nostra
aetate graviora. — Nam.

Lectio v.

DUM ad verbera du-
cuntur, mutuo se ad
supplicia fortiter subeun-
da novelli agni cohorta-
bantur. Nam Justus minor
natu, timens forte ne de
sua frater constantia diffi-
deret, sic prior Pastorem
alloquitur: Nihil, Pastor
frater, timeas mortem cor-
poris, quae nos circumstat:
nec tormenta, quae nobis
parata sunt, quasi tenella
nostra aetate graviora:
excipe jugulo securus gla-
dium: nam Deus ille, qui
nos ad tantam gratiam
vocare dignatus, dabit
etiam vires cruciatibus
pares. Ad haec Pastor:
Merito, Juste frater, sic
te decet hortari, ut justitiam,
quam nomine praefers,
re ipsa praestes, ejusque
fructus mecum una
percipias. Ego vero liben-
ter socium me tibi praeb-
ebo martyrii, ut tecum
hujus certaminis gloriam

adipiscar. Quorum sermones cum satellites ad Daciānum retulissent, vēritus ille, ne reliqui Christiāni tanto excitarentur exemplo ejusque crudelitas, si in certāmen descenderet, a pueris vinceretur, extra oppidum, procul ab hominum frequentia sanctissimos pueros abripi jubet, et silentio occidi.

R. Propter testamentum Domini, et leges paternas, Justus et Pastor persistērunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides. **V.** Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. — Quia.

Leccio vij.

ITaque in campum, qui laudabilis est appellatus, adducti, octavo Idus Augusti gladio feriuntur. Et, ut a majoribus accēpimus, jugulati sunt super lapidem, qui Compluti in honore est, et adhuc servat sacrati martyrii impressa vestigia. Post discēssum Daciāni Christiāni beatissima puerorum corpuscula eo ipso loco honorifice sepeliērunt; quæ, durante persecutiōne, et novis deinceps semper bellis Hispānia exagitata, obliuioni traduntur, donec longo post tempore Astu-

rio Toletāno Archiepiscopo, viro sanctissimo, divinitus commonstrata sunt. Qui cœlestem thesaurum pro dignitate æstimans, Complutum venit, eumque pretioso tumulo condidit, tantaque veneratiōne prosecutus est, ut Toletāna sede relicta, primus Complutensem episcopatum constituerit, ac reliquum vitæ tempus in honorandis sanctissimis pueris collocarit, neque amplius se ab eis divelli passus sit. Quorum reliquæ multis et illustribus miraculis claruerunt.

R. Innocentes pro Christo infantes occisi sunt, ab impio tyranno pueri fratres jugulati sunt: ipsum sequuntur Agnum sine macula: * Et dicunt semper: Glória tibi Domine. **V.** Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. — Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Añā. Neque vocati neque appellati Justus et Pastor in domum júdicis properant, Christi fidem confitentes.

Añā. Qui adhuc lactentis teneritudine agebantur infantiæ, ultra vires viriliter dimicant, allelúia.

Añā. Deus adjutor noster in tribulationibus: propterea non timēbimus, dum turbabitur terra.

V. Justi autem in perpetuum vivent. **R.** Et apud Dominum est merces eorum.

Leccio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Leccio vij. Cap. 11.

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 8. de Verbis Domini, t. 10.

Quid est hoc, fratres? A contrario sensu intelligite: Abscondisti hæc, inquit, a sapientibus et prudentibus: et non dixit: Revelasti ea stultis et imprudentibus: sed ait: Abscondisti quidem a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Sapientibus et prudentibus irridendis, arrogantibus, falso grandibus, vere autem tumētibibus, opposuit non insipientes, non imprudentes, sed parvulos. Qui sunt parvuli?

Humiles. Ergo abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus,

R. Sacrilegi præsidis Daciāni minas perhorrescunt viri, infantes contemnunt. * Et per infirma mundi fortia confunduntur. **V.** Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. — Et.

Leccio viij.

Omine sapientium et prudentium superbos intelligi posse, ipse exposuit, cum ait: Revelasti ea parvulis. Ergo abscondisti non parvulis. Quid est, non parvulis? Non humilibus. Quid est non humilibus, nisi superbis? O via Domini, aut non erat, aut latēbat, ut revelaretur nobis. Unde Dominus exultavit, nisi quia revelatum est parvulis? Debemus esse parvuli: nam si voluerimus esse magni, quasi sapientes et prudentes, non nobis illud revelatur.

R. Hæc est vera fraternitas, quæ nunquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominum: * Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna cœlestia. **V.** Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.

— Contemnentes. Glória Patri. Contemnentes.

Lectio ix. de Vigilia S. Laurentii Mart. ut in Breviario.

At vero ubi est j. class. vel celebratur alia die,

Lectio ix.

QUI sunt magni? Sapientes, et prudentes. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Habes remedium a contrario. Si dicendo te esse sapientem, stultus factus es; dic te stultum, et sapiens eris. Sed dic, dic, et intus dic: quia sic est, ut dicis. Si dicis, noli coram hominibus dicere, et coram Deo non dicere. Prorsus quod ad te ipsum pertinet, quod ad tua, tenebrosus es. Quid est enim aliud esse stultum, nisi esse tenebrosum in corde? Denique de illis sic ait: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Te Deum.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Justus et Pastor * fratres pueri, cum præsidis sævitiam viri perhorrescerent, sponte ad martyrium cucurrerunt.

2. Pastor et Justus * fratres, cum pueri adhuc literis imbuerentur, projectis in schola tabellis, veram sapientiam sunt secuti.

3. Justus Pastorem * alloquitur: Noli frater mortem corporis, nec tormenta, quæ nobis parata sunt, pertimescere.

4. Dixit Pastor * Justo fratri: Libenter me tibi martyrii socium præbeo, ut simul hujus certaminis gloriam consequamur.

5. Pueri et iuvenes, * senes cum junioribus laudent nomen Domini, alleluia.

Capitulum. Rom. 8.

FRATRES, Existimo quod non sunt condignæ passionēs hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.

Hymnus.

SAcra victorum monumenta fratrum
Supplici voto renovamus,
et te,
Martyrum virtus, canimus
qui in illis,
Christe, triumphas.

Hodie duplex tibi consecratur

Victima, hostili temerata
cultro,

Utraque internas animante vires

Uritur igne.

Ultrò ad immitem properat tyrannum,

Utraque intentos cupit ire in enses,

Nulla vis cogit jugulum minaci

Sùbdere ferro.

Pròdeunt una genitricis alvo,

Tempore ad palmam rapiuntur uno,

Et duplex agnus laniatus unam

Imbuit aram.

Excipe ex nostris, Deus alme, templis

Vota, solèmnì geminata ritu,

Quique adhuc stillat veteri recentem

Morte cruorem.

Glória ætèrno Genitòri, et ejus

Sit coætèrnæ Sòboli, jugisque

Laus Paraclèto, qui ab utroque manat

Numine sacro. Amen.

✠ Exsultabunt sancti in glória. ✠. Laetabuntur in cubilibus suis.

Ad Benedictus, Añæ. Super petram duæ victimæ Christo gratissimæ, Justus et Pastor, jugulati sunt, et corpora eorum in pace honorifice sepulta sunt, alleluia.

Oratio.

DEus, lactentium fides, spes infantium, caritas puerorum, qui per innocentem tuorum Justi et Pastoris laudem cunctos provocas ad salutem: infunde nobis, quæsumus,

puritatem lactentis infantiae, ut dum sensu justitiae parvulis adaequamur, in illa remuneratione fidelium cum Sanctis pariter gloriamur. Per Dominum.

Et fit Commem. Vigiliae S. Laurentii, et S. Romani Mart. ut in Breviario.

AD TERTIAM.

Capit. Fratres, Existimo. ut in Laudibus.

✠. br. Laetamini in Domino, * Et exsultate justi.

Laetamini. ✠ Et gloriamini omnes recti corde. Et exsultate. Glória. Laetamini.

✠. Exsultent justi in conspectu Dei. ✠. Et delectentur in laetitia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Rom. 8.

SCimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.

✠. br. Exsultent justi, * In conspectu Dei. Exsultent. ✠. Et delectentur in laetitia. In conspectu.

Glória Patri. Exsultent.

✠. Justi autem in perpetuum vivent. ✠. Et apud Dominum est merces eorum.

AD NONAM.

Capitulum. Rom. 8.

Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia?

an fames? an nūditas? an periculum? an persecutio? an gladius?

R. br. Justi autem, * In perpetuum vivent. **Justi.** **V.** Et apud Dōminum est merces eōrum. In perpetuum. **Glória.** **Justi.**

V. Exsultābunt sancti in glória. **R.** Lætābuntur in cubilibus suis.

Vesperæ de S. Laurentio Mart. ut in Breviario, cum Commem. SS. Justi et Pastoris, Añā. Isti sunt duo novelli agni, qui nec minis iudicis deterriti, nec virium teneritate defessi, usque ad mortem tormenta passi sunt, alleluia.

V. Exsultābunt.

DIE XIX. AUGUSTI.

S. Magini

Mart. Tاراcon. Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter sequentia.

Oratio. Præsta, quæsumus... ut intercedente.

Commem. Octavæ.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. et iij. Nocturno, Lect. de ij. loco ejusdem Communis.

Vesperæ a Capitulo de seq. Commem. præced. et simplicis.

DIE XXV. AUGUSTI.

S. Ludovici

Regis Francorum,
Confessoris. Duplex.

Omnia ut in Breviario.

DIE XXVII. AUGUSTI.

S. Teresiæ

Virginis secundo.
Duplex.

Ut in fine Breviarii.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præcedentis.

EADEM DIE XXVII.

S. Josephi Calasanctii

Confessoris.

Duplex ij. classis.

Officium ut in Breviario.

In j. Nocturno, Lectiones. Beatus vir. de Communi.

ALIUD OFFICIUM.

Pro nonnullis Dioceses.

Duplex j. cl. cum Oct.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. absque ulla Commem. nisi venerit in Dñica præter seq.

AD VESPERAS.

Hymnus.

Sacram venite supplices
Josephi ad aram, parvuli,
Quos ille primos advocat,
Primoque amore diligit.

Venite, castæ virgines,
Quarum pericla depulit,
Omnisque turba pauperum

Verbo refecta, et pabulo.

Venite quotquot faucibus

Mortis benignus abstulit,

Unaque Joseph debitum

Hymni tributum solvite.

Quod caritatis ignibus

Medulla cordis arserit;

Quod castitatis lilium

Non foeda sortes læserit.

Laudate robur pectoris,

Quo mille firmus pertulit,

Sævi furoris victima,

Hostilis arcus spicula.

Fecunda lingue mûnera,

Corpus flagellis saucium,

Fractum fame et laboribus,

Cantate laudis canticum.

Deo Patri cum Filio,

Tibi que, sancte Spiritus,

Sicut fuit, sit iugiter

Sæclum per omne gloria.

Amen.

V. Amavit eum.

Ad Magnificat. Añā.

Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium est enim regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui per sanctum Josephum Confessorem tuum, ad erudiendam spiritu intelligentiæ ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium providere dignatus es: præsta quæsumus,

nos ejus exemplo et intercessione ita facere et docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dōminum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

MOre lux festo celebranda fulget:

Templa Josepho renovent honores:

Cóncinat laudes chorus omnis: auras

Thura vaporent.

Diva crescentem teneris ab annis

Cáritas fovit, superoque pectus

Ignem collustrans, docilem per alta

Duxit alumnum.

Sensa montanæ truculentæ plebis

Voce mulcentem stupuit Pyrène;

Dira Josepho posuit tonante

Bárcinon arma.

Ira nec Tigris, neque pestis atra

Pródigum vitæ facies retardat:

Pervolat passim, miseris que dextram

Tendit amicam.

Quin et inférni rábiem tyranni

Sprevit invictus patienter heros,

Et sibi clarum péperit secúndi

Nomen Ióbi.

Donec ætérnum recolátur
ævum,
Sint tibi plausus, tibi sint
honóres,
Cuncta qui nutu moderá-
ris æquo
Trinus et unus.

Amen.

In j. Nocturno, Lectiones.
Beátus vir. de Communi.
In ij. et iij. Noct. Lect.
ut in Breviario Romano.

AD LAUDES.

Hymnus.

Plébis ignaráe procul
ite questus :
Ecce doctrínæ jubar ap-
propínquat :
Ecce Joséphum Pietas
Ibéris

Evocat oris.

Ille désertum miserans
popéllum,
Párvulis aptam réserat
palæstram,
Formet ut mentes, iter ac
beátas

Sternat ad arces.

Rite sub tanto fáciem
magístro
Vulgus immútat : novus
ordo pagos
Expolit cunctos : plácidis
renident
Móribus urbes.

Orbis exsúltat, meritóque
plaudit

Gratus Auctóri : probat
ipsa Virgo

Lapsa de cælo, beat ac
benigno

Lumine pubem.

Donec ætérnum recolátur
ævum,
Sint tibi plausus, tibi sint
honóres,
Cuncta qui nutu moderá-
ris æquo
Trinus et unus.

Amen.

¶ Justum dedúxit.
Ad Bened. Añã. Tam-
quam prodígium factus
sum multis, et tu adjútor
fortis.

IN II. VESPERIS.

Hymnus ut in primis.

¶ Justum dedúxit.

Ad Magnif. Añã. Spíri-
tus Dómini super me :
evangelizáre paupéribus
misit me.

Commem. sequentis.

DIE II. SEPTEMBRIS.

S. Antonini

Martyris. Duplex.

Omnia de Comm. unius

Martyris, præter seq.

Oratio.

Omnipotens sempitér-
ne Deus, qui hunc
diem beáti Antonini Már-
tyris tui solemnitate cla-
rificas : exáudi preces
pópuli tui, et præsta; ut
quæ fidéliter expetit, eo
suffragante, cónsequi me-
reátur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.
Ubi duplex majus, Lect.
Fratres, Debitóres. de

Communi plurim. Mart.
cum R. unius Mart.

In II. Nocturno.

Lectio ib.



Antoninus regáli gé-
nere ortus, cum a
prima ætáte chri-
stiánam religiónem cole-
ret, paréntibus orbátus, a
Theodorico pátruo Toló-
sæ rege infidéli, Pámiaë,
(quod est Gálliaë Narbo-
nensis oppidum) educátus
est. Deláto autem ad re-
gem quod Christiánus
esset, inde discédens, Ro-
mam venit : póstea Salér-
num profectus, ibi duode-
viginti annos apud pios
et doctos viros in secéssu
eremítico mansit. Sacris
deinde ordínibus initiátus,
diaconátum suscepit. Quo
ex témpore cœpit quam
plúrimis clarére mirácu-
lis, ita ut cæcis visum,
surdís auditum, mutis lo-
quélam restitúeret, váriis
languóribus opprésos sa-
náret, immúndos étiam
spíritus ex hóminum cor-
póribus ejiceret. Hujús-
modi vero mirácula vitæ
innocéntia et púritas co-
mitabántur, nec a Verbi
Dei prædicatióne, étiam
cum vitæ discrimine,
quando se ei præbébat
occasio (cum martyrii cu-
pidissimus esset), cessá-
bat. In eo múnere cum
aliquándo siti laboráret,

elevátis ad cœlum óculis
Deum precátus, báculo,
cui innitebátur, terram
percússit, ex qua illico
fons emanávit, quo ipse
et álíi multi sitim exstin-
xérunt.

R. Honéstum fecit.

Lectio v.

Aliquot post annos
ad natále solum
reversus, et a pátruo sus-
cèptus, aliquándiu cum
eo vixit; sed íterum, quod
Christiánus et régiaë ma-
jestátis reus esset accusá-
tus, in tenebricosum cár-
cerem (qui spelúnca voti-
va dicebátur) compédibus
ligátus sine cibo et potu
conjcitur. Post septem
dies rex cárcerem adiit,
existimans júvenem jam
inédia mórtuum fuisse.
Quem cum incólumem in-
venisset, quinimo púerum
nóbilem Almáchium pon-
dus vinculórum ejus sus-
tentántem comperisset,
id mágiaë arti tribuens,
púerum e rupe præcipi-
tári, et beátum Antoní-
num gravióribus vinculis
astringi jussit. Interim
rex in bello périit, puer
vero præcipitátus illæsus
repértus est, et beátus
Antonínus ab Angelo,
solútis compédibus (ut
alter Petrus) liberátus, li-
bérius cœpit Christiános
vinctos in cárcere, et ex-

tra in fide cathólica confirmáre. Cum autem Theodorico successisset in regnum Gallátius, Antonini consanguineus, et majores in Christiános persecutiónes excitáret, Antonínus a piis viris ab ira regis eréptus, Pámiam in solitúdinem secéssit: ubi et Almáchium púerum réperit.

R. Desidérium.

Lectio vj.

IBI in spelúnca (quæ Orientalis dicebátur) prope fontem simul in oratióibus, et jejúniis se exercéntes, ab omni hóminum conversatióne semóti, diu commoráti sunt. Illis paulo post quidam Joánnes Présbyter divíno instíntu, simul futúrus Martyr adjúngitur. Nam cum venatóres régii ex insperáto eos reperissent, et Antoninum cognovissent, ad regem déferunt. Qui ad se perductum Antoninum sic allóquitur: Quæ te deméntia, Antonine, cepit, ut tui géneris oblitus tuis præstigiis hómines deméntes et regnum nostrum pertúrbes? Cui Antoninus: Non ego, Galláti, quemquam deménto; sed unum Deum, cujus est regnum et impérium prædico; tuos autem, quos colis, deos

ligneos et lapídeos, ut falsos et inanes réspuo. His verbis ira inflammátus rex illico eum cum sóciis cápite plecti, et in flumen (cui nomen Aré-gia) prójici jubet. Eórum córpora a Christiánis inventa honorífice cóndita sunt: et sancti Antonini dexter húmerus cum bráchio, qui insimul étiam cum cápite, feróci ictu cum ferirétur, abscessus fúerat, in ecclésia Palentina, cujus patrónus existit, ex multo témpore magna cum veneratióne asservátur: ad cujus tamentum puer mórtuus, qui multitudíne pópuli, sanctas reliquias subsequéntis, in sinu matris opprésus fúerat, statim revíxit. Cum étiam Sánctius, Castéllæ primus rex, dum venarétur, aprum, qui in antrum confúgerat, et cuidam ibidem imáginí inhærébat, ferire vellet statimque ei bráchium obriguisset; compérto quod illa esset sancti Antonini imágo, in cujus honórem locus habebátur, penitens facti rex, vovit Mártýri templum ibi erigere, et illico bráchium pristinae sanitátis restitúitur. Quare eo loco magnificentissimam ecclésiám sancti Antonini

nómine ædificávit, ædiculam vero antri, ut hódie visitur, sub ipsa ecclésia intactam reliquit.

R. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno, Homilia. Ipse Dóminus Jesus. ut in Festo S. Laurentii die x. Augusti cum **RR.** de Communi.

DIE III. SEPTEMBRIS.

Octava

B. Josephi Calasancii

In diversis, Duplex.

Officium ut in Festo præter sequentia.

Commem. præcedentis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Bulla Canonizationis.

Lectio iv.

Coram Josépho nemo erat, qui impudenter dicere aliquid, vel indecóre fácere auderet. Tam spectátam virtútem ac præsertim ánimo castimóniam tetérrimus húmani géneris hostis ferre non póterat. Itaque ad eam labefactándam usus est impudéntia nóbilis cuiusdam féminæ. Sed castissimus júvenis blandiéntis illécebras tanta ánimo exhorrescéntis constántia elúsit, ac réspuit, ut non

satis habéret, quod e domo illa tamquam ex infámi scópolo sese proripuisset; nisi étiam ex urbe ipsa uti præstitit, álío demigráret.

R. Honéstum fecit.

Lectio v.

Peracto studiórum currículo, láurea donátus, tamétsi nondum sacris majóribus initiátus ab Episcopo Jaccæ sócius labórum ascitus est, non sine magna dicecésis utilitáte. Jam vero mórtuo fratre sine liberis, a parénte in spem familiæ destinátus ad núptias, morbo interveniéntis periculóso atque ancipiti, ab iis sese expédívit. Cum enim ad mortem decumberet, fácale a parénte Joséphus obtinuit, ut, si convalésceret, cœlibem ágere vitam licéret. Itaque præter omnem opiniónem recuperáta valétudine, sacrórum órdinum susceptióne totum se Deo mancipávit. Neque vero diu sibi uni vacávit. Cógnota enim illius pietas, sapiéntia, intégritas fecit, ut a plúribus Episcopis in pastorális sollicitúdinis partem advocarétur. Quibus ille quidem non mediócri labórum fructu óperam egrégie navávit.

R. Amávit eum.

Leectio vij.

B Arcinonem régia missus auctoritate, scissam in factiones duas civitatem, atque in mutuas mox caedes foedissime ruituram, (quod optare magis, quam sperare cives possent) ad concordiam et pacem consilio et fusis ad Deum precibus revocavit. Caritatis hoc et prudentiae; illud animi demissionis fuit, quod ut paratos sibi honores defugeret, oculis atque aspectui plaudentium sibi civium sese subducens, Urgellam statim reversus est; a qua tamen, majus quoddam humilitati suae instare ab rege periculum suspicatus, ob rem tantam jam pervulgatam, haud ita multo post proficiscens, aetatis suae anno secundo supra trigésimum Romam, quo divinitus vocabatur, se contulit.

R. Iste homo.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Leectio vij. Cap. 18.

IN illo tempore : Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Quis putas, major est in regno caelorum? Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

In cap. 18. Matth.**Hom. 59.**

P Arvulum aetate, et quidem mea sententia valde parvulum, qui ab omnibus esset passionibus liber, in medio statuit. Illa enim aetas omni arrogantia, omni gloriae inanis furore, omni livoris insania, omni contentione cupiditate, ceterisque hujusmodi affectibus immunis est. Cumque praecipuis muniatur virtutibus, simplicitatis scilicet, ac humilitatis, de nulla istarum superbit, ita duplici philosophia ornatur. Nam et haec bona possidet, et nihil sibi propter haec arrogat; his de causis in medio parvulum statuit.

R. Iste est.

Leectio viij.

N EC sermone hic finem fecit, sed ulterius admonitionem producit, dicens : Et quicumque suscepit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Non enim solum, inquit, magna erit merces vestra, si tales efficiamini, verum etiam si alios tales propter me honorabitis : propter vestrum erga illos honorem regnum vobis retribuatur, quodque om-

nium extremum est, me ipsum suscipietis. Ita vehementer humilitate, et moribus, qui procul ab omni simulatione absint, afficior.

R. Sint lumbi.

Leectio ix.

P Arvulos quidem hic simplices homines, quos multi spernunt, appellavit : hunc autem sermonem non praemiis solum in animum penetrare facit, verum etiam terrore poenarum corroborat. Nam quemadmodum qui hos parvulos propter me honorant, caelum possidebunt, inquit, imo vero caelo quoque ipso majus aliquid, atque praestantius : sic et qui despiciunt, atque vituperant maximo plectentur supplicio. Vides quomodo radicitus arrogantiae tumorem evulsit? quomodo vanae gloriae ulcus curavit? **Te Deum.**

EADEM DIE III. SEPT.

(Pro regno Valentino).

BB. Joannis et Petri Martyrum. Duplex.

Omnia de Communi plurim. Martyrum, praeter sequentia.

Oratio.

C Oncede, quaesumus omnipotens Deus, infirmitati nostrae praesi-

dium : ut sicut beatorum Martyrum tuorum Joannis et Petri gloriamur triumphis, ita eorum constantiam imitari non pigeat, quam celebrare delectat. Per Dominum.

Commem. praecedentis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Commentariis sancti Antonini Archiepiscopi Florentini de viris egregiis ordinis Minorum.

Leectio ib.

Chron. P. 3. tit. 24.

cap. 7. § 14.

B Uos fratres beatissimus Pater Franciscus ad regnum Aragoniae destinavit, fratrem scilicet Joannem (Perusinum) sacerdotem, et fratrem Petrum (a Saxoferrato) conversum. Hi cum Turolium devenissent, conventum ibi capientes, praedicationibus et orationibus suae odorem sanctitatis diffuderunt. Tempore illo, scilicet anno Domini millesimo ducentesimo trigésimo, vel circa, Valentia civitas erat Saracenis populata, et infidelium Maurorum ditioni subiecta : in qua regnabat quidam, Azotus nomine, Christianorum maximus persecutor. Praedicti igi-

tur fratres, zelo fidei succēnsi, et martyrii desidērio inflammāti, ad prædicandum verbum Dei Valēntiam sunt ingressi; et ibi de falsitate legis Mahumētis Saracēnis fervēnter prædicavēre. Quod audiens rex Azótus, comprehendēdi eos jussit, et cárceri mancipari. Et cum promissionibus plurimis invitasset eos ad legem suam observandam, et Christi fidem abnegandam, illi autem hoc detestarentur, in pública platea illos decollari mandavit. Qui sepulturæ traditi cœperunt miraculis coruscare. **R.** Sancti tui.

Lectio v.

REX autem Aragóniæ christianissimus, Jacobus nomine, cum dicto rege Valēntiæ eo tempore bellum gerēbat. Et ex quo rex Valēntiæ Azótus illos martyrio consummavit, in dies cœpit infērior existere, et ab eo superari in bellis. Cum ergo vidēret se Azótus quotidie a Christianis expugnari, a grātia divina et Dei virtute sola arbitratus hoc fieri, cum rege Aragónum tractare cœpit de sua conversione ad fidem, offerens, se ei civitatem tradituram et regnum dummodo sibi vi-

tam et victum concedere dignaretur decētem. Quibus omnibus rex Aragónum annuens, et gaudens de sui conversione confederatus est cum eo. Anno igitur Dōmini millesimo ducentesimo trigésimo octavo, in vigilia sancti Michaélis, ingreditur rex Aragóniæ civitatem Valēntiæ, ejus dominium capiēns. Rex prior Azótus juxta promissum baptisma suscipit: qui libere regi tradit totum regnum suum, scilicet Valēntiæ. Converso autem ad fidem Azóto, rex Aragóniæ concessit ei palatium regium intra civitatem, et quemdam comitatum, et successoribus suis: et cultu Mahumético de illa civitate Valēntiæ evacuato, introductus est ritus et fides Christianorum.

R. Vërbera.**Lectio vj.**

VOcavit autem Azótus fratres Minores, dicens eis: Ego sum, qui occidi fratres, socios vestros de Turólio ex infidelitate mea, de quo dōleo ex toto corde meo: et pro aliquali satisfactione vellem, quod palatium meum regale pro vestro monasterio congruendo haberētis: et

illud debētis libenter accipere, quia ibi multus sanguis Martyrum effusus est per me, et alios priores dominos infidèles: ut sit quasi totum sanguine Martyrum consecratum. Et beatus Vincēntius Martyr, quem tota christianitas tanta veneratione festivat, pro fide martyrio ibi coronatus est. Quamobrem sitis solliciti dictum palatium a rege Aragónum postulare; et credo, quod vestrum desiderium, et meum adimplēbit. Quod cum fecissent, et rex Aragónum Jacobus, Azótum, cui illud concesserat, hoc exoptare cognovisset, gaudiōse concessit: sicque ibi est convēntus ordinis Minorum. Cultum porro jam inde ab obitu laudatis Martyribus Joāni et Petro exhibitum et continenter auctum probatumque, Clemens undecimus ratum habuit firmavitque. Benedictus autem tertiusdecimus Misam et Officium in universo Minorum ordine, tum etiam in civitatibus et diocēsisibus, Valentina ubi passi sunt, Turólēnsi ubi eorum corpora magna fideliū religione coluntur, nec non in Perusina, simulque in oppido Saxi-

ferrati ubi ortum habuere, ritu duplici celebrandum induluit. **R.** Tamquam.

In iij. Nocturno, **Homilia de Communi j. loco.**

R. vij. Hæc est vera.OFFICIUM VOTIVUM
S. Jacobi

Apostoli, **Hisp. Patroni.**
Ex concess. Clementis Papæ IX. recitandum in regnis **Hisp.** (ritu semid., atque extra Advent. Quadrag., Feriam ij. Rogat. et Vigilias) singulis Feriis ij. non impeditis Festo ix. Lect. nec Officio Dñicæ anticipandæ.

Leo vero Papa XIII. die 24. Nov. 1884. indulgere dignatus est translat. hujus Officii a Feria ij. ad iij. itemque extensionem Officii ejusdem ad omnes illas Ferias indulto Clement. exceptas, et quas non excipit indult. generale diei 5. Julii 1883.: ita tamen ut diebus in veteri indulto exceptis, hodie liberum sit recitare Offic. votiv., aut feriale, vel Vigiliæ; diebus vero in eodem veteri indulto non exceptis, posthac recitari omnino debeat Offic. votiv. et non feriale, neque Sancti ritus simplicis. (S. R. C. 18 Februarii 1889.)

Omnia ut in Festo Appar. S. Jacobi, 25, præter seq.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

MENSE JUNIO.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustini
Episcopi.

Lectio iv.

Serm. 43. de Sanctis.

SI omnium sanctorum Martyrum grata nobis debet esse solemnitas, fratres carissimi, quanto gratior eorum, qui presentem secuti sunt principem Martyrum? Si agnorum, quanto magis arietum? Illorum enim filii non generatione carnis, sed imitatione virtutis facti sunt omnes, qui posterius usque ad mortem confessi sunt Christum. Hos obtulerunt populi gentium, de quibus Psalmus ante cantavit dicens: Afferte Domino filios arietum. His primum Dominus cum ad confessionem sui nominis hortaretur, non solum se promisit victoriae coronatorem, sed et certaminis adiutorem. Etiam in ipsis et posteros admonerat: quoniam quod dicebat, scriptum posteris relinqueret. Illis ergo ait, exhortans eos: Cum adducet vos ad principes et potestates, nolite cogi-

tare quid respondeatis, vel quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Meditari vetuit, et confiteri praecipit. Maluit enim auferre praesumptionem humanam et gratiam dare divinam: ut in semetipsis timidi, et mundo essent audaces. Unde et in alio Psalmo vox Martyrum dicit quasi ex parte humanae fragilitatis verendo: Eripe me de inimicis meis Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. Et paulo post, de auxilio divino confidens, dicit: Fortitudinem meam ad te custodiam.

R. Assumpsit.

Lectio v.

Supra ceteras enim turbas fidelium, necnon antiquorum justorum et Prophetarum, eminentes Apostolos suos volens Dominus ostendere dixit ad eos: Beati oculi, qui vident quae vos videtis, et aures, quae audiunt, quae vos auditis. Multi enim Prophetae et justi voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt, et audire, quae vos auditis: et non audierunt: Item alibi: Jam, ait, non dicam vos servos, quia

servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Item ait idem alio loco: Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo. Item alibi sciscitanti Petro, quid sibi et sociis suis profuisset, reliquisse omnia, et sequi Redemptorem, respondit dicens: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

R. Potestis bibere.

Lectio vi.

Isti sunt lux mundi, quia per ipsos lumen fidei et verae scientiae primum Dominus huic mundo tradidit: et ab errorum ac peccatorum tenebris gentes et populos eruit. Isti sunt sal terrae, quia per eos terrigenae condimentum sapientiae vitae aeternae perciperunt, ut restringerent, carnis lasciviam, et a putredine peccatorum, et a vitiorum vermibus servarentur illasi. Isti sunt la-

pides pretiosi quos in fundamento caelestis aedificii posuit Joannes in Apocalypsi sua describit, quia praedicatio eorum Ecclesiae fundamenta locavit. Unde et Paulus ait: Vos estis cives Sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum. Isti sunt duodecim portae Jerusalem novae, quae de caelo descendit: quia per ipsos januam fidei primum intravimus: et inter cives Sanctorum annumerati sumus. **R.** Assumpsit.

MENSIBUS

JULIO ET AUGUSTO.

In ij. Nocturno, Lectiones
et **R. R.** ut sexta die infra
Octavam S. Jacobi.

MENSE JUNIO.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii
secundum Matthaeum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Et reliqua. De Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homilia 66. in Matth.

Sedere autem ad dexteram, et ad sinistram, non est meum dare, sed quibus

paratum est a Patre meo. Quidnam sibi vult, quod modo dictum est? Duo enim hic a multis quaeruntur: primum, si a dextris ejus sedere quibusdam paratum sit: alterum, si Dominus omnium non possit illis praebere, quibus paratum est. Ex quibus primo soluto, alterum etiam patebit. Quid igitur est, quod dicit? Nullus profecto a dextris, nullus a sinistris ejus sedebit. Inaccessibilis quippe sedes est illa, non hominibus dico solum, sed Angelis, sed Archangelis ceterisque Virtutibus. Quod quasi praecipuum Unigeniti privilegium Paulus posuit, dicens: Ad quem autem Angelorum dixit unquam: Sede a dextris meis? Et ad Angelos quidem inquit: Qui facit Angelos suos spiritus; ad Filium autem: Thronus tuus Deus in saeculum saeculi. *R.* Misit Herodes.

Lectio viij.

Quomodo igitur dixit: Sedere a dextris atque a sinistris meis, non est meum dare? An quia concessuri alii sunt? Minime inquam. Ad mentem enim interrogantium condescendens respondet. Non enim de sublimi sede

illa, quae ad dexteram Patris est, aliquid sciiebant: qui vel multo inferiora, quae quotidie auribus eorum inculcabuntur, non percipiiebant. Unum solummodo quaerebant, praefectura potiri, et omnium se primos apud eum constitui: quodque jam diximus, cum duodecim sedes audissent, ignorantes quod dicebatur, primum concessus postularunt. *R.* Iste est qui.

Lectio ix.

Quid igitur ait Christus? Propter me quidem ac praedicationis meae gratia moriemini, et meae passionis participes eritis, sed non est id satis ad primum locum atque ordinem obtinendum. Nam si quis postea veniet martyrio et aliarum omnium numero virtutum ita decoratus, ut non parum excedere vos videatur, nolite credere, quia vos amo ceterisque antepono, idcirco eo, qui majoribus nitet operibus, expulso, vobis primum me locum datum.

Te Deum laudamus.

MENSIBUS

JULIO ET AUGUSTO.

In iij. Nocturno, Lektionen et *RR.* ut sexta die infra Octav. S. Jacobi.

Officium de Immaculat. Concept. B. M. V.

Hispaniae Patronae.

Ex concessione Clementis Papae XIII. recitandum in regnis Hispaniar. (ritu semid., atque extra Advent., Quadrag., Quat. Temp. et Vigil.) singulis Sabbatis non impeditis Festo novem Lect. nec Officio Dominicae anticipandae. Verum S. R. C. die 18. Febr. 1889 indulgere dignata est extensionem Officii ejusdem ad omnia illa Sabbata indulto Clementino excepta, et

quae non excipit indultum gener. d. 5. Julii 1883; ita tamen ut diebus in veteri indulto exceptis, hodie liberum sit recitare Officium votivum, aut feriale, vel Vigil.; diebus vero in eodem veteri indulto non exceptis, in posterum recitari omnino debeat Officium votivum, et non feriale, neque Sancti ritus simplicis.

Offic. ut in Brev. pro universali Ecclesia.

